Noverint universi quod die et anno infrascriptis in presentia mei notarii et testium subscriptorum Bartholomeus marchabrun sabaterius et Bernardus boteri fusterius Gerunde personaliter constituti in
intrata ianue seu portalis exterioris ecclesie Sedis Gerunde versus meridiem ante presentiam Petri de cassis notis clerici dicte Sedis procuratoris ut fertur Monasterii Sancti Danielis
Gerunde seu venerabilis abbatisse eiusdem Monasterii (attendentes ydem Bartholomeus et Bernardus tanquam manumissores et executores ultimi testamenti Petri alamanii condam
civis Gerunde quod testamentum fuit factum terciadecima die Januarii anno a nativitate domini Millesimo trecentesimo Sexagesimo Quinto in posse Raymundi de bruguera
notarii Gerunde predictum Petrum alamanii quondam dum agebat in humanis habere et possidere tres fexias terre contiguas que sibi fuerant stabilite per dominam abbatissam dicti Monasterii
predecessore domine abbatisse nunc dicti Monasterii ex quadam tenedone alodiali vocata tellera que est propter dictum monasterium prout affrontabant nunc ipse tres fexie ab
oriente in fexia dalmacii amati comorantis in dicta tellaria et in fexia bonanati de mansione carrerio mediante a meridie in fexia Petri de ulmo vallis Sancti Danielis
predicti ab occidente in orto et domibus bonanati de mansione antedicto in dicta fexia dicti dalmacii amati/ pro quibus quidem fexiis debebat et tenebatur ipse deffunctus
facere et prestare annuatim processu in festo sanctorum Petri et felicis duodecim sol. barchinonensis pro quolibet ipsarum fexiarum terre quatuor sol. ut in instrumento dicti stabilimenti facto
in posse Raymundi de brugaria notarii Gerunde Quinto idus octobris anno a nativitate domini Millesimo trecentesimo Quadragesimo tertio latius continetur/ attendentes
insuper dicti manumissores predictas fexias terre dicte manumissorie et heredibus dicti deffuncti ut dixerunt magis fore dampnosas quam utiles attento dicto censu et pluribus
aliis oneribus que ydem manumissores pro predictis gerunt sustinere ipsas fexias terre tenent cultivare et condresare presertim attento/ quod ipse fexie sunt ut dixerunt valde
heremose et infertiles in tantum quod deductis sumptibus per eos fiendis pro condresando easdem/ fructus inde provenientes vix sufficeret quolibet anno ad solvendum
censum prelibatum ut hec per que premissa liquidum est videre ut dixerunt/ ideo prefati manumissores/ potestate de hiis et pluribus aliis ut dixerunt [illegible]
in dicto testamento/ vigore eiusdem potestatis et iuris in eis erat/ renunciarunt diffinierunt et deliquerunt predictas fexias terre domine abbatisse nunc
dicti Monasterii licet absenti ac dicto eius procuratori ibidem presenti nominibus memoratis/ ita quod amodo predicta domina abbatissa per se vel alias personas
quibus sibi placuerit predictas fexias terre valeat tenere possidere et condresare atque vendere seu stabilire alteri persone seu personis et aliter inde facere
ad sue libitum voluntatis Cedendo ydem manumissores nominibus et dando [illegible] prefate domine abbatisse et suis successoribus in dicto Monasterio omnia iura
et actiones quascumque dicte manumissorie pertinentes super predictis/ et que ratione eorum quo ad ultime dominium vel alias pertinent dicto deffuncto tempore sue mortis faciendo
et constituendo ipsam dominam abbatissam et dictos suos successores de predictis [illegible] veros dominos et procuratores ut in rem dicti Monasterii propriam
ad faciendum inde suas voluntates Promittentes ydem manumissores in posse mei notarii subscripti ut publice persone nomine dicte domine abbatisse et aliorum
quorum interest et intererit legitime stipulantis predictam renunciationem ac alia supradicta rata grata et firma semper habere et nullatenus contravenire aliqua ratione
iure vel modo Quibus factis dictus Petrus de cassis nomine procuratorio predicto dixit et respondit super predictis in presentia mei notarii et testium subscriptorum quod ipse non
admittebat dictam renunciationem donec census tempore preteriti sibi fuerit persolutus Quo facto atque tradito sibi instrumento veri dicti stabilimenti/ cum instrumento etiam de
predicta renunciatione fiendo ipse nomine predicto tunc habebat ipsam renunciationem pro admissa alias non Que omnia fuerunt acta die martii vicesima quinta
mensis februarii anno a nativitate domini Millesimo trecentesimo Sexagesimo Sexto/ paulo ante horam tertie seu [illegible] Quadragesime in loco predicto
presente me Bernardo pictor notario infrascripto ac presentibus et ad hec vocatis testibus Guillelmo bernardi de plas clerico ecclesie Sedis et Petro blasii
pelligerio et civibus Gerunde.

Sig+num Bernardi pictoris notarii publici substituti auctoritate regia a Jacobo de capolongo [illegible] publico Gerunde notario [illegible] clausi.

T. 304 X 380

25-2-1365

[illegible]

Renunciació de algunes terres en lo lo[c] nomenat Tiella [illegible]

[illegible]

ACf 5V

[illegible]

N.º 908

961